

**Theses medicae de mensium suppressione, / quas D.O.M.A. sub praesidio
... Dn. Johannis Rudolphi Saltzmanni ... Publici ac solennis exercitii gratiâ
respondendo defendere conabitur. Johannes Philippus Pfitzer
Nassa-Saræpontanus. Mense Martio.**

Contributors

Saltzmann, Johann Rudolph, 1574-1656
Pfitzer, Johann Philipp
Université de Strasbourg.

Publication/Creation

Argentorati : Typis Haeredum Pauli Ledertz, Anno M. DC. XXXIII. [1633]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/snss75by>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

THESES MEDICAE

De

MENSIVM SVP-
PRESSIONE,

Quas

D. O. M. A.

SUB PRÆSIDIO

Celeberrimi, Clarissimi, atq; Experientissimi Viri

DN. JOHANNIS RUDOLPHI SALTZ-
MANNI MEDICINÆ DOCTORIS, PROFES-
SORIS, AC p.t. FACULTATIS MEDICÆ DECANI,
ET REIPUBL. ARGENTORATENSIS
Poliatri eminentissimi.

*Publici ac solennis exercitii gratiâ Respon-
dendo defendere conabitur.*

JOHANNES PHILIPPUS *Pfizer*
Nassa-Saræpontanus.

Mense Martio, horis locóq; solitis.



ARGENTORATI,

Typis Hæredum PAULI LEDERTZ.

ANNO M. DC. XXXIII.

VIRIS

MAXIME STRENVIS AMPLISS: CONSVLTISS:

DN. GEORGIO PHILIPPO à PISPORT,	} Per Illustris ac Generosiss. Comitis, Principis NASSA SARAE PONTANI Con- filiariis intimis dexteri- mis, & Archipræfectis respec- tively gravissimis.
DN. IOHANNI DANIELI ab Hagen/	
DN. PHILIPPO Streiff à Lawenstein/	
DN. IOHANNI BERNHARDO ab Hagen/	
DN. PHILIPPO CLEMENTI I. V. D.	

TVM ETIAM VIRIS EXCELLENTISSIMIS, CLARISSIMIS,
Admodum Reverendis, Præstantissimis.

DN. PHILIPPO WEBERO Phil. & Medic. DOCTORI Experientissimo,
modò dicti DN. Comit̃s Archiatro, & Practico apud S A R A E-PONTA-
NOS felicissimo.

DN. IOHANNI GEORGIO REVTTTERO I. V. D. eximio, Per illustris
Comitis à Leiningen consiliario, & præfecto summo dignissimo.

DN. M. IOHANNI SCHLOSSERO, Ecclesiæ patriæ antistiti vigilantis-
simo, & perquàm φιλοπόνῳ.

DN. DAVIDI Grenſi / Pharmacopæo in eodem SARAE PONTO lau-
datiſſimo.


*Magnis suis Patronis, Mecanatibus, Fautoribus,
respectivè cognatis & sororio, omni
submissionis & amoris cultu obser-
vandis.*

Medicum hoc Exercitium in gratæ &
devotæ mentis signum, sui suo-
rumq; studiorum ulteriorem
commendationem.

Humiliter inscribere & dedicare & voluit & debuit.

JOHAN. PHILIPPUS PFITZERUS:

Der Wohl Ertan v. d'genet meien
malnonen manien pphoren
ganant haffen, z'godfuchenin
in Van Brichan, Reinen
Zorh, loben fneue mellen,
Zu befändigen, auß hind.
Vgl'digen pphr v. godnere
welygmeinden affdion.



THESES MEDICÆ

De

MENSIUM SUPPRESSIONIS NATURA, CAUSIS, SIGNIS, ET CURATIONE.



EIUS TER OPT. MAX. in prima statim
Creatione absoluta, mundi, & omnium
rerum formatione, hominē etiam con-
dedit, eundēmq; post se Dominū omni-
um esse voluit, quare etiam ipsum opus
absolutissimum, & artificiosissimum, ad

imaginem suam fecit, eiq; animam rationalem in sum-
ma perfectione inflavit, quā stipatus, & intimā omnium
rerum cognitione donatus, animantibus cæteris impera-
ret, & dominaretur; ipsumq; ut unicum & supremum
Monarcham coleret & veneraretur: At etsi quidem levif-
simo negotio, vel potiùs absq; omni negotio, solo verbo
oris sui, multa millia hominum creare, universum mun-
dum, omnesq; ejus angulos, iisdem replere potuisset; uni-
cum tamen tantum Adamum condidit, huicq; postea
Evam, ex costa ejus efformatam copulavit, ut ex ambo-
bus simul universum genus humanum, prægressâ divinâ
ejus benedictione, *Crescite & multiplicamini, & replete
terram*, procederet & propagaretur. Quæ ejus benedictio,
cū in vanum abire nec debuerit, nec potuerit, organa
& media ipsis largitus simul est, quibus non terræ modò

omnibusq; animantibus præesse, sed simul & se sustentare, liberos procreare, genus humanum propagare, atq; sic terram replere ac inhabitare possent.

Quæ media cùm varia sint, & ita numerosa ac multiplicia, ut iis recensendis tantùm, tempus & charta potius, quàm materia deficere posset; omiſſis omnibus aliis, de iis saltem in præsentia agemus, quæ proposito nostro convenire videntur. Quemadmodum industrius, & diligens agricola maximo studio eò laborare nititur, ut agrũ, cui aliquando semina sua committere cogitat, eo in loco situm habeat, in quo præter cætera requisita, debito tempore, humore conveniente, rigari & irrorari, non tamen nimia humiditate diffluere possit, in quo semina feliciter radicare, & moderato humore rigata, in altum exurgere, fructum ferre, & de segete ac messe copiosa spem facere queat; Ita quoq; Natura, agro humano qui est uterus, præter alia innumera & admiranda, de humore conveniente prospexit, quo semen conceptum rigari, enutriri, & excreſcere solet. Et ita quidem, dum omnia bene, & secundum naturam habent, prospexit, ne vel defectu ejus exareſcat foetus; vel nimio affluxu suffocetur; vel deniq; corrupto, & putrescente, simul corrumpatur & emoriatur.

De hoc humore, de hoc rore irrorante & humectante uterum, ipsumq; fætum nutriente & augente, pauca in præsentia dicere constituimus. Quod dum facimus, cùm longum nimis foret, de omnibus quæ circa eundem evenire solent incommodis, simul agere, de unico saltem, relictis reliquis breviter quædam proponemus.

T H E S I S I.

Est autem primùm humoris, de quo hîc aliqua ex parte agere propositum nobis est, sanguis, qui *ab eo, quod ordinariè & ut pluri-*

plurimum, bene constituto, & naturaliter habente corpore, singulis mensibus excerni solet, Menstruus, vel Menstruum, seu Menstrua in plurali, dicitur; & Menses καλαμνία Hipp. & Galeno; ipsa verò excretio καλαμνίων κάθαρσις Menstrua purgatio Erasistrato dicta fuit, teste Gal. libell. de atra bile c. 8. quas denominationes ipse etiam Gal. reservavit, ut ex l. de aliment. fac. c. 18. & alibi patet. Menstruum etiam & Menstruus sanguis ab eodem vocatur 6. de loc. aff. c. 5. com. 3. in 3. Epid. text. 75. & aliis locis videre est.

II.

Sanguis hic menstruus, seu καλαμνία hæc sunt juxta Gal. 14. de usu part. c. 8. sanguis is, qui antè conceptum, in muliere ætate florente superfluous colligitur, quemq; natura, singulis mensibus, per venas ad uterum pertinentes, excernit. Seu juxta Authorem defin. med. qui sanitatis gratiâ evacuat, embryoni autem alimentum præbet, per conceptum suppressus.

III.

Ex quibus omnes hujus humoris seu sanguinis requisita sufficienter cognoscuntur. Primò enim dicitur esse Sanguis, & quidem sanguis reliquo in corpore sanguini, ut plurimum similis, naturalis scil. unde Gal. 3. de sympt. caus. inquit, Mulieribus qui ex utero profluit sanguis, toto genere præter naturam non est, sed tantum quantitate peccat. Cùm itaq; cum reliquo in corpore sanguine idem sit, eandem etiam & materiam, & formam, ut & efficientem habeat necesse est, finem verò cum illo eundem non semper assequitur, cùm in nutrimentum corporis in quo generatur, non cedat, sed ut superfluous certo tempore rejiciatur & expurgetur.

IV.

Cùm verò quantitate peccet, & non aliâ ratione, quæ hujus abundantia causa sit, non malè quæritur. Hanc autem in formali quærere frustraneum est, cùm jam dictum sit, in forma vitium non hære, sed eandem ubiq; esse. Efficientem arguere vix possumus, ut quæ etiam naturaliter habeat. In materiali verò potissima causa hujus abundantia latere videtur, & quidem in quantitate tantum. Ubi itaq; paulò copiosius cibus ingeritur laudabilis, & calor naturalis vegetus est, facultas quoq; hepatis ἀμαλκποινητικὴ integra, fit ut plus etiam sanguinis, quàm pro individui sustentatione, &

nutritione opus est, generetur; qui si usum nullum habere possit, statuto tempore excernitur, & à reliquo sanguine separatur.

V.

Est tamen etiam præter hanc materialem & immediatam causam adhuc alia, ipsa scil. Naturæ providentia, quam in prima statim sexûs fœminini formatione, primus & summus Protoplastes, eidem instillavit, ut genus humanum hac ratione propagaretur & multiplicaretur, siquidem masculis hoc datum non sit, & si & ipsi non rarò plus sanguinis, quàm pro partium nutritione opus sit, & quidem magno interdum corporis damno, colligere soleant; Fœminæ etiam non paucae, plethoricæ sunt, quibus tamen non omnis superfluous sanguis, sed pars ejus saltem aliqua, neq; omni tempore & ætate, sed ea saltem qua ad generandum & procreandum aptæ sunt, ætate scil. florente, ut *Gal. habet supra allegato loco* 14. de us. part. c. 8. dum vegetæ & robustæ satis sunt vires, quæ laboribus & doloribus partûs, & fœtûs nutritioni sufficere possunt, statuto tempore expurgatur.

VI.

Finalis hujus sanguinis causa, ex dictis facilè patere potest, ipsa scil. nutritio at ubi hunc finem assequi nequit, ne diutiùs in corpore retentus, noxam inferat, meritò rejicitur: ubi verò hunc consequitur, retinetur, & munus suum perficit, qui est speciei conservatio, seu fœtus formatio & nutritio. Cùm verò in non gravidis quantitate peccet, & sic corpori, in quo colligitur, inutilis sit, tam diu excernitur, donec sit quod ipso egeat; quod fit mox à conceptionis in utero hora (ut d. l. *Gal. ait, cùm conceperit mulier ex iisdem vasis fœtus trahit alimentum*) tum enim eo eget natura, & pro formando, & pro nutriendo, atq; augendo conceptu & fœtu, eoq; tam diu eget, donec fœtus grandior factus, vel ut *Gal. loquitur com. aphor. 37. sect. 5. ubi jam infans molem corporis habet, plus cibi requirens, quàm illud quod adest, calcitrat, & membranas disrumpens, initium partus matri affert, atq; in lucem prodire sat agit.*

VII.

Est itaq; , ut in pauca rem contrahamur, sanguis menstruus, sanguis, idem cum reliquo sanguine, in hepate, ex chylis genitus, quantitate abundans: & propterea antè conceptionem, singulis mensi-

menſibus excernendus; poſt conceptionem verò materiam pro-
formatione, nutritione atq; auctione fatûs ſuppeditans.

VIII.

Ut autem ſanguis hic menſtruus, rectè & naturaliter fluat, tria omninò neceſſaria eſſe videntur: Materia ſcil. ſufficiens, & commoda, facultas expulſrix robuſta, & viæ per quas ferri debet, expeditæ & liberæ: quæ ſi omnia conſentiant, & bene procedet fluxus, & à variis ſymptomatibus libera erit fœmina. Quod ſi verò alterutrum à naturali ſtatu aberret, ipſa etiam evacuatio lædatur oportet.

IX.

Læditur autem primùm dupliciter, vel enim omninò non fit, vel depravatè fit: depravatè autem fit, vel ratione materiæ, vel ratione modi excretionis, & ratione materiæ quidem, ea vel quantitate, vel qualitate vitioſa eſt; & quantitate, vel auctâ, vel immi-
nutâ: qualitate verò, ſi vel ſanguis corruptus, vel materia à ſangu-
ine aliena excernitur. Ratione modi excretionis, vel antè, vel poſt debitum tempus, vel non continuato, ſed interpolato tempore, vel cum doloribus, aliisve ſymptomatibus excernitur. Nec cùm de omnibus ſimul agere inſtituti ratio non patiatur, circa primum occupati erimus, & de omnimoda ejus ablatione pauca quædam dicemus.

X.

Hæc autem τῶν κατὰ μὲν τὴν ἐπίχρῳς, ut Gal. eam vocat comm. 3. in 3. Epid. tex. 75. & 3. de ſympt. cauſ. cap. 4. & 6. de loc. aff. C. 5. & alibi. Latinis menſes ſuppreſſi, menſtrua ſuppreſſa, retenta, obſtru-
cta: vel obſtructio, ſuppreſſio, retentio, menſium, vel menſtruo-
rum dicitur. Capiſaccius menſes ſuppreſſos potius, quàm menſi-
um ſuppreſſionem vocare vult, quòd ſuppreſſio ſit actio læſa, menſes verò ſuppreſſi, ſint excrementum mutatum, & rectius hoc vitium, excrementi, quàm actionis nomine donetur, quia ex-
crementum in actionem refertur, & eam ſequitur, non contrà.

XI.

Sed ſive hoc, ſive illo nomine appelles, parum intereſt, mo-
dò ſciamus agi hîc de ſanguinis menſtrui, ſeu menſium ſuppreſſi-
one, quæ eſt, ut à Capevac. definitur, Excrementum ſanguis nolen-
tum

tum præter naturam uteri cohibitum, dependens ab expulsionem
ablata. de qua Hipp. aph. 57. sect. 5. dicit, καλαμνίαν μὴ γυνόμεναι,
ἀπὸ τῆς ὕστερης ἔμβαλλεσθαι νύκτι Menstruis non fluentibus, ex utero mor-
bi fiunt, & Gal. in com. ait impossibile esse, hoc scire, nisi omnes nove-
rimus causas, ob quas vel plura quàm opus sit, vel pauciora veniant men-
strua. Cùm itaq; experientia quotidiana doceat, varia & gravis-
sima ex hoc affectu & symptomate, corpori accidere mala: juxta
Galenii monitum, in causas ejus penitus inquiremus, signa propo-
nemus, & tandem curationem ejus docebimus.

XII.

Causas autem omnium symptomatum Galenus in genere
proposuisse videtur cap. 4. lib. 3. de caus. sympt. non longè ab initio,
dum dicit, omnia symptomata ex intemperiei similium, & in-
strumentorum morbis, præterea materiæ ipsius tum qualitate, tum
quantitate, provenireprehendes.

XIII.

In specie de hujus symptomatis causis, hinc inde apud Ga-
lenum, ut mox allegato loco, comm. aph. 28. sect. 5. & alibi apud Aëtii-
um tetrab. 4. serm. 4. cap. 51. apud Avic. lib. 3. fen. 21. tract. 3. cap. 25
& plures alios legimus, qui omnes eas ex tribus fontibus haurire
videntur, ita ut causa sit vel in ipso sanguine, seu materia excer-
nenda, vel in ipsa facultate, vel deniq; in ipso subjecto.

XIV.

Et ut à postremo, ipso scil. subjecto ordiamur, subjectum
seu corpus ipsum in causa est vel universum, vel pars ejus saltem
aliqua. Universum corpus causa est, vel ratione qualitatis, in tem-
periei scil. calidæ & siccæ, absumentis sanguinem & humores
corporis: vel frigidæ & siccæ, sanguinem & humores incrassan-
tis, & ad fluendum ineptos reddentis. Quæ utraque, vel naturalis
est, & à primo ortu talis; vel adscititia, & acquisita: & illa, calida
& sicca quidem, vel victu, potissimum calido & sicco: vel exerci-
tiis, & laboribus nimis, vel aliis, corpora calefacientibus, & exic-
cantibus: hæc diætâ frigidâ & siccâ, otio, & ignaviâ, vitaq; desede,
seu nimia quiete comparata.

XV.

Deinde universum corpus, causa est, ratione quantitatis,
idq;

idq; dupliciter vel ratione excessus, vel ratione defectus. Et excessus quidem ratione in nimia corporis mole, quæ vel pinguis est, vel carnosa; dum scil. id quod singulis mensibus excerni deberet, in pinguedinem, vel carneam substantiam assumitur, ut quod excernatur, non supersit. Pingues enim, inquit Aëtius, magis exangues sunt reliquis, minimasq; venulas habent, & sanguis, qui in ipsis est paucissimus, ferè in pinguedinem transit. Quod etiam in carnosiss, licet rarius, accidere potest.

XVI.

Defectus verò ratione, in nimia corporis macie & extenuatione; In hac enim vel sanguis non generatur, & ita maciei causa est, sanguinis defectus, in magna inedia, & à cibo abstinencia, vel victu parciore, exercitiis nimis &c. de quo postea: vel macies causa fit defectus sanguinis, in refectioe corporum, post diuturnam famem, vel morbum aliquem vehementem, & longum; ubi quicquid boni sanguinis generatur, id omne in nutrimentum corporis absumitur, & superflui nihil relinquitur:

XVII.

Si pars aliqua causam mali continet, ea est vel primaria, seu propriè huic symptomati dicata, vel aliæ quædam, & potissimum venæ, per quas sanguis transit, quæ vel obstruuntur, vel comprimuntur & angustantur, vel occluduntur: & obstruuntur quidem ab humoribus crassis viscidis & glutinosis: angustantur & comprimuntur, à partibus adjacentibus, tumore scil. aliquo, vel nimia pinguedine, quemadmodum enim os uteri ab omento crassiore comprimitur, quod Hipp. aph. 46. sect. 5. habet, dum dicit, *Οκόσαι παρὰ φύσιν παχῆσαι ἔχσαι, μὴ ξυλλαμβάνεσθιν ἐν τῇ γαστρὶ, τέλει τὸ ἐπιπλόον τὸ σῶμα τῶν ὑστερέων ἀποπύζει.* Quæ immodicè crassæ sunt, concipere non possunt, iis omentum uteri os comprimit, ita quoq; venæ sanguinem ad uterum deferentes comprimi & angustiores reddi possunt. Occluduntur à cicatrice aliqua insigni, post ulceris vel vulneris curationem.

XVIII.

Hûc etiam pertinet pars quælibet insignis, maximo dolore, calore, vel aliter affecta, quæ sanguinem copiosè ad se trahit; vel natura eum ed, quasi cum impetu, mittit, eumq; ab utero avocat & retrahit.

XIX.

Pars primaria, quæ est uterus, causa etiam hujus accidentis fit, ubi vel intemperie aliquâ laborat, vel substantia ejus malè afficitur, vel viæ depravantur, vel situs pervertitur.

XX.

Intemperies ejus duplex est; calida, & frigida, in activis, in passivis sicca, cum utraq; enim hæc jungi potest, & calida quidem & sicca, humores vel sanguinem exiccando, & humidum depascendo, frigida verò & sicca, eundem incrassando, & ad fluendum ineptum reddendo, obstructionsq; pariendo.

XXI.

Substantiæ vitium in eo consistit, quòd crassior & densior sit, quàm ut venæ, per eandem delatæ, sanguinem admittere, vel transmittere possint; unde & ipsæ, quatenus viæ sunt, vitiantur & comprimuntur; licet præter hoc etiam obstruantur, ab humoribus, uti de reliquis venis dictum fuit, crassis & glutinosis; præterea etiam ob situm uteri depravatum, inclinationem scil. ad latera, vel prolapsum, seu descensum ejus, non venæ modò, sed & collum ejus comprimitur, quod etiam vel coalescit, post ulcus aliquod insigne, minùs sollicitè curatum, vel ob pelliculam, *quod Aëtio tribuitur*, uteri os cludentem, *Capevac.* carnem annatam addit.

XXII.

Si facultas, & quidem expultrix, in vitio est, tripliciter læditur, vel enim deficit, vel impeditur, vel malè & perperam agit. Et deficit, non per se, sed ob defectum spirituum, qui aut ex morbo aliquo, vel inedia, vel motu, & laboribus vehementioribus, vel aliam ob causam absumpti sunt, & deficiunt. Impeditur vel ob materiam, vel ob vias; & materiam, crassiorem & viscosiorem, quàm ut eam propellere possit; vias verò, vel angustas, vel obstructas, vel occlusas. Perperam agit si laceSSita, vel partis alicujus dolore & affectu insigni, vel sanguinis acrimoniâ, motu & quaquaversum ruentis impetu, sanguinem aliorum, quàm ad, & per ipsum uterum, deprimat.

XXIII.

Materia etiam variis modis ansam huic symptomati largitur, potissimum tribus modis, Quantitate, Qualitate, & Motu.

XXIV.

Quantitate, materia seu sanguis causa est hujus mali, deficiente. Deficit autem vel in universo corpore, vel in utero.

XXV.

In universo corpore deficit, vel quia non generatur; vel quia consumitur: vel deniq; quia evacuatur.

XXVI.

Non generatur, vel ob materiæ, chyli & cibi, defectum, ut in inedia, & diuturniore à cibo abstinencia, vel parciore ejus usu: vel ob ejusdem vitium in qualitate, ineptitudinem scil. ad sanguinem generandum, quæ consistit vel in cibo, aut quæ ciborum loco offeruntur, quæ in sanguinem converti nequeunt; ut in mulieribus picâ laborantibus accidit, quæ cretam, lutum, carbones, metalla, & ejusmodi alia absument; Vel in chylo, qui in ventriculo, ob vitium ejus aliquod ita corrumpitur, ut ineptus sit, ex quo sanguis generetur; vel deniq; non generatur, ob morbum aliquem hepatis & lienis.

XXVII.

Consumitur sanguis, ubi partes famelicæ, omnem, qui generatur, sanguinem, ad se rapiunt, & in sui nutrimentum convertunt, quod fieri solet, post multam toleratam famem; post insignem aliquam, & diu continuatam evacuationem, ut post dysenteriam, post morbum diuturnum, & colliquantem; post exercitia, & labores vehementiores, & crebriores, & si quæ sunt ejusmodi.

XXVIII.

Evacuatur verò idem, in magnis hæmorrhagiis, narium, oris, hæmorrhoidum, vulnerum, &c.

XXIX.

Deficit autem in utero, vel quod ad eum non fertur, vel quòd is eum non recipit. Prius fit, vel quòd venæ, per quas transire debet, non patent, vel sanguis aliorsum abripitur, & ad alias partes vergit, ut de motu dicetur, vel crassior est, quàm ut venas per

meare possit. Alterum, ob corporis ejus crassitiem, & densitatem, ob venarum ejus recipientium angustiam, & obstructionem.

XXX.

Deinde Materia peccat, & hujus affectus causa est Qualitate, eaq; non calida sola, hæc enim fluxilem magis reddit sanguinem, sed frigida, quæ sanguinem incrassando, consistere eum magis facit; & sicca, quæ & ipsa non parùm ejus consistentiam & crassitiem auget: quin & visciditate suâ, & glutinositate idem efficit, cum scil. per se ad fluxum difficilis est; & simul vias, per quas transire debet, obstruit.

XXXI.

Has verò qualitates nanciscitur, vel à materiali, vel ab efficiente; Materialis autem est cibus, qui si frigidus, crudus, crassus, viscosus, & difficilis digestionis sit, simile etiam materiatum, sanguinem producet. Idq; eò magis, si vel universum corpus, vel partes nutritioni dicatæ, tanquam causa efficiens, debiles & frigidæ fuerint, ut etiam laudabiles cibos feliciter conficere nequeant.

XXXII.

Postremò Motu materia peccat, ubi ea non ad uterum, sed ad alias partes vel fertur, vel rapitur; fertur autem, vel stimulatâ expultrice, aut acrimoniâ, aut quantitate, aut motu; rapitur vel ob dolorem, aut calorem, aut insignem evacuationem ejus, ob apertionem, vel divisionem venarum, ut in magnis vulneribus, contusionibus, & aliis ejusmodi, de quorum plerisq; jam suprà dictum fuit. Ab utero etiam retrahitur, & ad eum fluere impeditur, ob affectiones animi vehementiores. Metus enim inprimis & expavescencia, calorem & sanguinem, affatim ad interiora ab exterioribus revocans, simul ab utero eum retrahit.

XXXIII.

Ex his differentiæ quæ à causis potissimum dependent, cognosci possunt, quæ variæ pro earum varietate esse solent.

XXXIV.

Præter has verò aliæ differentiæ sumuntur à tempore, & sic alia mensium obstructio recens est, alia antiqua: continua alia, alia interpolata, quæ scil. interdum desinit, ubi scil. per plures menses durat, post verò semel, vel iterum fluunt menses, mox verò iterum obstru-

obstruuntur, & retinentur: Alia etiam mensium suppressio est cum, alia sine aliis symptomatibus, alia verò, cum iisdem, interdum primo statim, nonnunquam tertio, quarto vel alio mense demum, iisq; vel levibus, vel gravibus & gravissimis.

XXXV.

Signa hujus symptomatis scrupulosius inquirere supervacuum videtur, apud eos præsertim, qui quo, & quanto tempore, fluere & soleant & debeant, si naturaliter constitutum sit corpus, sciunt. Si enim intra decimum quartum, & quinquagesimum ætatis annum (quod tempus Aëtius, & alii, constituit, & ipsa plærunq; natura observat) menses non prodeant, nec gravida sit mulier, ei præter naturam suppressos esse indicium est. Qui verò differentias ejus & curationem indagare cupit, is omnino per certa signa in cognitionem eam pervenire necesse habet.

XXXVI.

An itaq; universum corpus causa sit hujus mali, cognoscitur ex universi corporis constitutione, si enim vel obesum nimis, vel emaciatum, aut tenue sit corpus; si actiones ejus plæræq; læsæ sint, universum etiam corpus huic malo ansam præbuisse præsumitur, si præsertim, affectus aliquis, qui affinitatem aliquam, cum hoc malo habere potest, appareat. Si verò in una, vel altera parte, utero, exempli gratiâ, simile quid detegatur, ibi etiam potius malum hære conjicimus.

XXXVII.

Sanguinis defectum in universo corpore esse, ex prægressa vita: inedia scil. diuturniore: morbo aliquo longo: exercitiis vehementioribus: hæmorrhagiâ atq; evacuatione insigni: corporis habitu obeso & pingui, venis exilibus & concidentibus, seu vacuis: gravi aliquo hepatis vitio.

XXXVIII.

Quod si non in universo corpore, sed parte aliqua, vitium hæreat, cognoscitur, quòd in una aliqua & affecta parte, actionis læsio, dolor, & alia signa appareant, quis autem in specie sit affectus, ex propriis signis cognoscendum erit.

XXXIX.

Facultatis vitium desumitur, & quidem deficientis, ex præ-

gresso morbo aliquo diuturniore, inediâ nimîâ, subitanâ, & affatim factâ aliquâ evacuatione, sanguinis præsertim ex prægressis laboribus vehementioribus.

XL.

Facultas impedita cognoscitur ex sanguinis constitutione crassa, viscosa & glutinosa; obstructione vasorum, tum uteri, tum aliorum, per quæ is ad uterum ferri deberet.

XLI.

Depravata, arguitur ex ebullitione, fervore & acrimoniâ sanguinis, dolore vel vulnere, aut contusione partis alicujus insigni, & si quæ sunt aliæ.

XLII.

Materiæ, sanguinis scil. in universo defectus, quomodo cognoscatur, paulò suprâ th. 36. fuit demonstratum. An verò in solo utero deficiat, apparet, quod reliquum corpus sanguine sufficiente donatum est, menses tamen, & quidem citra uteri incommodum, retinentur. Si enim in utero & circa uterum sanguis colligatur, neq; excernatur, venarum ejus obstructio, vel uteri densitas arguitur, variaq; oriri inde solent symptomata, ut dolor, gravitas circa uterum, tensiones, dorsi dolores, & circa dorsum, uteri suffocatio, & similia. Si itaq; talia non eveniant, uterum à sanguinis copia liberum esse dicere possumus.

XLIII.

An sanguis à partibus famelicis rapiatur, præsumitur, si multa præcesserit fames, & inedia, evacuatio, & morbus aliquis diuturnus, quem corporis macies exceperit: &c.

XLIV.

Materiæ vitium in qualitate esse concluditur, tum ex ingestorum natura, tum partium concoquentium constitutione, Si enim cibi ingesti sint crudi, crassi, viscosi, difficilis digestionis; ventriculus debilis sit; hepar etiam intemperatum sit, quod utrumq; ex propriis signis cognoscitur, similes etiam in corpore humores generari verisimile est.

XLV.

Materiam aliò ferri, manifestè dignoscitur, si quidem oculis plerunq; subjiciatur, si vel extra corpus rejiciatur, vel in partem aliquam decumbat.

XLVI.

Prognostica signa duplicia sunt, alia futurum malum præ-
nunciant, alia ejus morem & eventum prædicunt. Illa ex jam
enumeratis signis desumuntur, ubi enim ea plura, vel pauciora
apparent, citius vel tardius malum hoc adventurum præsumim⁹.
Quæ verò morem & eventum ejus denunciant, ab aliis petenda
sunt, & maximè sumuntur, à viribus ægræ, & symptomatibus su-
pervenientibus.

XLVII.

Viribus enim robustis, cum symptomatibus, vel nullis, vel
paucis, iisque remissis periculo rem vacare, & malum leve esse, præ-
sumere possumus, secus verò, si horum aliquod desit, ut scil. vires
deficiant, & gravia ac frequentia symptomata superveniant, &
morbum difficilem, & non sine periculo esse, demonstrat; Quod
si verò, vel symptomata rariora & mitiora fuerint, vel vires min⁹
debiles, minus etiam periculi subesse conjicimus.

XLVIII.

Mensium suppressio, quæcunq; tandem, nisi corpori natu-
ralis sit, ob symptomata, quæ exinde sequi solent, malum est non
contemnendum.

XLIX.

Minus tamen malum est, quàm si à partu retineatur sangu-
is, seu lochia, juxta *Gal. comm. 3. in 3. Epid. text. 75.* ubi simul ratio-
nem addit, quòd scil. lochiorum retentio, non abundantiam mo-
dò, sed insignem etiam pariat pravitatem.

L.

Mensium suppressio recens facilius, inveterata difficilius
curatur.

E I.

Si mensibus retentis, nulla fiat per aliam partem sanguinis
evacuatio, gravia plæruncq; subsequuntur symptomata, vel in ute-
ro, si ibi detineatur sanguis; vel in una aliqua parte, si ad eam fera-
tur sanguis. Vnde *Hipp. aph. 40. sect. 5.* inquit γυναιξιν ὀκότητιν ἐκ
τῆς μήτρης αἷμα συστέφεται, μὴ γὰρ σημαίνει. Si mulieri sanguis in mam-
mis coacervatur, furorem significat. & *aph. 57. sect. ejusd. ait.* Καταμνή-
ων μὴ γενομένων, ἀπὸ τῆς ὑστέρης ἔμβαλνεται ῥῆσσι; Menstruis non fluen-
tibus, ex utero morbi contingunt.

52. Quod

LII.

Quod si verò menses non fluunt, ob defectum sanguinis, nihil inde incommodi corpus patitur, si præsertim individui temperamentum hoc patiatur.

LIII.

Menstrua purgatio retenta solitaria, minus periculi habet, quàm si morbum comitem habeat: & quò hic gravior, eò etiam periculum est majus.

LIV.

Suppressio mensiù à vitio nativo, vix & difficilimè curatur.

LV.

Si menses supprimuntur ob uteri densitatem, facilius curantur, quàm si durities jungatur.

LVI.

Quò copiosior & crassior, vel viscidior materia obstructionem faciens fuerit, eò difficilior erit curatio; impossibilis, si à cicatrice vasa occludantur, & coaluerint.

LVII.

Menses retenti, ob defectum sanguinis in toto corpore, tardius multò curantur, quàm si is in utero saltem deficiat.

LVIII.

Ad Curationem nunc accedimus, eamq; ex indicationibus desumim⁹, quæ etsi difficilis sit, non tamen semper & impossibilis.

LIX.

Desumitur prima indicatio ab affectu ipso, non quidem universaliter, quatenus simpliciter res est præter naturam, de qua *Gal. l. 3. Meth. med. c. 1. dicit, quod principium tantum sit & carcer, unde medendi ratio promoveret; nulla prorsus adhuc Medicæ artis portio, aut certè nec magna, nec propria, sed quæ etiam plebi sit communis.* Sed quatenus talis, & hic affectus est, Mensium scil. retentio, quæ sui remotionem, hoc est, Mensium fluxum, & excretionem postulat. At cùm symptomata, ut symptomata, non indicent, & ut *Gal. lib. de opt. sect. c. 21. loquitur, à symptomate nulla ducatur indicatio curativa, ab ipsis affectibus, tanquam hujus symptomatis causis, eæ desumendæ sunt: ita enim Gal. loquitur lib. 3. meth. med. cap 8. ubi dicit, quòd indicatio curativa ex ipsa rei natura desumatur, siquidè indi-*

indicatione invenire, est ex ipsa rei natura oriri, ut *id habet 2. meth. med. cap. 7.*

LX.

Cum autem varii sint ejusmodi affectus, à quibus symptoma hoc procedit, variæ etiam oriuntur indicationes, atq; pro harum varietate ipsa etiam curatio variat.

LXI.

Suprà autem thesi 13. causæ hujus symptomatis ex tribus fontibus petitæ fuerunt, ita ut vel sanguinis vitio fiat, vel facultatis, vel ipsius subjecti, in quocunq; itaq; horum vitium fuerit, ei etiam curatio accommodanda.

LXII.

Et ut iterum à subjecto ordiamur, si universum subjectum in causa sit, universo etiam subjecto curatio adhibenda, sin verò pars ejus aliqua, ad hanc sola n dirigenda ea erit: Et si intemperie laboret, vel totum, vel pars, ea alteranda, calida quidem refrigeranda, frigida calefacienda, sicca humectanda si præsertim intemperies illa non naturalis sit.

LXIII.

Quod si nimia corporis moles causa mali fiat, ea minuenda, si citra individui noxam fieri possit. Si verò à nimia macie & extenuatione oriatur, corpus reficiendum nutrimentis, & cibis boni ac laudabilis succi.

LXIV.

Si vitium sit mala conformatio; intemperies emendanda, ut paulò suprà fuit dictum; mala conformatio corrigenda, & crassities quidem corporis attenuanda durities emollienda; viarum occlusio, obstructio & angustia, referanda, aperienda, dilatand, removenda ea, quæ horum morborum causæ sunt: partes in naturalem situm, quantum fieri, reponendæ, ut si uteru, vel in alterutrum latus, vel deorsum inclinet, reducendus.

LXV.

Si facultas & quidem expultrix ob Spirituum defectum, debilitata fuerit, inde reficiendi & restaurandi corroborantibus, tum alimentis, tum medicamentis: Si verò eadem impediatur ob viarum angustiam, hæc corrigenda, uti modò dictum est: Si ob

C

materiæ

materiae vitium, hoc etiam emendandum, ut mox sequetur. Si vero eadem depravatè agat, & ad alia loca materiam propellat, causae auferendae, atque in rectam & ordinariam viam materia reducenda.

LXVI.

Materiae vitia, omni etiam studio emendanda sunt. Et si ea deficiat, in universo corpore, eò quòd non generatur, ob alimenti defectum, id subministrandum *εὐχυμον καὶ εὐπεπτον*; si verò ob vitium aliquod partis alicujus, id corrigendum, particulari suâ curatione: Si consumatur sanguis, itidem cibus facilis digestionis, & optimi nutrimenti, subveniendum: idem faciendum si evacuetur.

LXVII.

Si in utero deficiat sanguis, quod ad eum non fertur, propter venarum obstructionem, ea aperiendae; Si quod aliorsum rapitur, revellendus, & ad uterum attrahendus, si ob crassitiem, incidendus & attenuandus.

LXVIII.

Ubi uterus sanguinem non recipit, ob corporis & substantiae uteri crassitiem & densitatem, ea si fieri potest, attenuanda, si propter venarum ejus obstructionem, aperiuntibus subveniendum.

LXIX.

Deniq; si Materia in causa sit, & vitium ejus sit in qualitate, alterationem postulat; & frigida quidem calefacientia, sicca humectantia, crassa attenuantia, viscida incidentia & abstergentia. Si in quantitate, & motu peccet, ea requirit, quae jam antè dicta sunt.

LXX.

Quibus tamen omnibus plerunq; praemittenda est universalis curatio, ut ad specialem eò felicius & commodius pervenire possimus.

XXI.

Ubi itaq; vitiosi humores in corpore collecti fuerint, qui, & si quidem actu ipso, malum hoc neq; foveant, neq; faciant; id tamen vel augere, vel etiam curationem impedire possunt, illi primò omni-

mò omnium removendi sunt purgantibus, si apti & parati sint, ut expurgari possint, sin minus, prius præparandi appropriatis: de quibus tamen hîc in specie dicere non est necesse.

LXXII.

Præmissâ hac universali corporis evacuatione, commodè & cum fructu, ad specialem, antecedentibus thesibus explicatam, accedere poterimus, medicamentis cuilibet intentioni appropriatis.

LXXIII.

Et calefacientia simplicia quidem sunt, betonica, pulegiû, melissâ, folia lauri, rosmarinus, fœniculum, origanum, arthemisia, radices liquirit, cappar: fœnic: helen: galang: petrosel: apii: pimpinell: sem: urtic. coriandr: cumin: cardamom: fœnic: carui gran: juniper: bacc. lauri, Macis, cinamomum &c. Composita sunt syru- pi, decocta, aquæ &c. ex prædictis & aliis parat: e.g. syr. de beton. de stæchade, de calamenth: de artemis: de duabus & de quinq; radicib. species vel tabell: diacalamenth: diamb: diamargarit: cal: dianth. diacinamom: & ejusmodi alia, quæ vel per se, & sola usur- pantur, vel invicem, & variis modis commixta & præparata offe- runtur.

LXXIV.

Frigida seu refrigerantia sunt, Endivia, lactuca, acetosa, por- tulaca, plantago; sem. quatuor frigida tam majora, quàm minora, rad. cichor. acetos. plantag. mala citria, vel horum succus, ut & succus aurant. granat. Ribium. syr. violar. acetosæ, citri, granato- rum, ribium, de endivia, spec. diaarrhod. abbat. diatr. sant. diatrag. fr. & sim.

LXXV.

Humectantia sunt buglossum, malua, lactuca, endivia, viola, Nymphæa, portulaca, uvæ passæ, sem. melon. cucum. sesam. rad. maluæ, bugloss. & tum ex dictis, tum aliis parata, ut syr. viol. jujub. de endivia, de nymph. &c.

LXXVI.

Attenuant, apulegium, arthemisia, stæchas, absynthium, cen- taur. minus, fœnicul. hyssopus, serpillum, ruta, baccæ juniperi, ca-
C 2 ryophill.

xyophill. piper sem. nasturt. anisi, carui, dauci, urtic. rad. dictam.
acori pyrethri &c.

LXXVII.

Incidunt præter pleraq; & ex dictis, oxymel. simplex & El-
boratum, oxysacchar. syr. acetosus s. & quæ tenuis substantiæ sunt
alia.

LXXVIII.

Obstructa, & angusta aperiunt, & dilatant, tum dicta quædã,
tum rad. fænicul. asparag. dauci, graminis, rusci, apii, petrosel. on-
nid. baccæ halicac. sem. apii, petrosel. dauci, sesel. syr. de duab. & de
quinq; radicib. de arthemif. de calamenth. & sim. quibus tamen
omnibus non rarò intermiscenda sunt purgantia, quæ humores
præparatos evacuant, ut ita ulteriori alterationi via melius
pateat.

LXXIX.

Spiritus restaurant, viresq; restituunt, borrago, buglossum,
melissa, mala citria, fl. rorismar. spicæ, rosæ, violæ, nux indica, nux
mosch. sem. citri, syr. acetos. citr. granat. limon. conf. alkerm. &
ejusmodi. præter hæc idem præstant cibi facilis digestionis, & lau-
dabilis succi, quiq; in parva quantitate multū nutriant, de quibus
tamen in specie hîc non agimus, idem facit, & præ aliis quidem,
vinum unius anni, album, vel dilutè rubrum, pellucidum, subdul-
ce & odoratum &c.

LXXX.

Revellentia & derivantia sunt, ligaturæ, frictiones, scarifi-
cationes venæ sectiones, infessus seu pediluvia, quæ tamen omnia
variis formis, & modis usurpari, & exhiberi solent & possunt.

LXXXI.

Quibus omnibus succedunt, vel etiam junguntur ea, quæ
proprietate menses movere creduntur: ad quæ cum ex dictis plu-
ra referantur, non tamen omnia propriè hîc pertinent, cum quæ-
dam per accidens saltè, menstrua movere soleant, licet & ea, quæ
per se & occultâ quadam facultate id faciunt, aperiendi, inciden-
di, attenuandi, viribus non omninò destituantur; sed earum etiam
adminiculo agant. Sunt autem ea pulegium, ruta, assarum, rosmar.
nepetha,

nepetha, fatureia, petrosel. arthemisia, savina; sem. asparagi, cicet. dauci, sesel. levist. ammom. ammi apii rad. dictam. alb. rub. tinct. asari, acori, dauci, costi, mei, valerian. costus, cinamom. cassia fist. galang. crocus, galbanum, myrrha, borras, limatura chalybis, fil. cannabina cum cineribus cocta, & sim. ex quibus, ut & superioribus variè commixtis, plures remediorum formæ parari possunt, quæ pro individuorum discrepantia etiam mutandæ & accommodandæ sunt, & copiosè tum ab aliis tum vel maximè à Roderico à Castro, in suæ universalis mulierû medicinæ partis secundæ cap. 4. describuntur.

LXXXII.

Cavere autem Medicus debet, ne indifferenter omnibus fæminis, quibus menses non fluunt, eos provocare tentet: sunt enim aliæ quibus non debent, aliæ quibus non possunt fluere: tales sunt gravidæ, lactantes, diuturno aut gravi morbo confectæ, inediâ diuturnâ, aut tenui victu emaciatae: viragines, laboriosæ, & eæ quibus ob cicatricem relictam in utero, supprimuntur, quæq; nullum inde sentiunt incommodum. Quod si inde lædantur, cum sanguis per uterum evacuari, & provocari non possit, per alias vias sanguis evacandus erit, & quidem per intervalla venæ sectione, in partibus inferioribus; vel exercitio, vel frictionibus, aut purgatione frequenti &c.

LXXXIII.

Quæ verò curati, & quibus menses provocari & possunt & debent, iis ex suprâ enumeratis variarum formarum remedia parare facilè est.

LXXXIV.

Ut si, quod plærung; fit, sanguis pituitosus, crassus & viscidus in causa sit, ita ut venas obstruat, & per se etiâ penetrare non possit, primò victum attenuantem, & aperientem, & incidentem præscribere oportebit, imprimis verò convenire videntur sorbitiones, & brodia carnum gallinarum, petroselino, pulegio, serpillio, asparago, radicibus fænicul. dauci, aromatibus, ut cinamomo, galanga, croco, & sim. condita, frequenti in usu est decoctum cicerum rubr. cum multo croco & petroselino. Vinum conducit album, tenue,

vel per se & purum, vel suprâ dictatum herbarum, radicum &c. viribus imprægnatum.

LXXXV.

Dietæ attenuanti, aperienti, & incidenti respondere debent, si ea non sufficiat, medicamenta iisdem facultatibus prædita, quæ si in forma liquida exhibeantur, comodiore fortè erunt, feliciusq; operabuntur, quàm si sicca offerantur, talia autem sunt decocta, aquæ destillatæ, infusa, Syrupi, Electuaria, conservæ &c.

LXXXVI.

Quibus aliquandiu administratis, si humores attenuati, & obstructio reserata fuerit, nec tamen sanguis prodeat, is ad uterû attrahendus, irritandus & commovendus erit, & facultas uteri excretrix juvanda, quò eum expellere ab utero, & per uterum possit, quod perficitur variis modis, infessibus seu pediluviiis, vel etiam balneis, ex aqua fluviali, cui salis aliquid admixtum, & quædam ex menses moventib⁹ incocta fuerunt; frequens est, ut fila cannabina cum cineribus cocta pubi, & inguinibus calidè applicentur; frictionibus partium extremarum, pedum scil. fortioribus, cum pannis asperis in interiore femorum parte, ab inguinibus deorsum factis, ligaturis pedum fortioribus, scarificatione sub inguinibus propè pubem.

LXXXVII.

Quæ si insufficientia fuerint visa, ad venæ sectionem est deveniendum: de quo remedio variant authores, tùm de loco, ubi ea institui debeat; tùm de tempore, quando administranda sit. Ut autem de utroq; certi esse possimus, sanguis considerandus, & ratione quantitatis, & ratione loci, in quo continetur. Si enim sanguis abundet in universo corpore, venæ sectio institui poterit in brachio, longè, vel etiam non multò antè tempus mensium; ut sic immutato sanguine, comodiùs & minore cum periculo, ad uterum attrahi & moveri possit, venâ unâ, vel etiam alterâ inferiore secta: hæc enim illam, paulò antè mensium tempus, vel etiam instantib⁹ iisdem, sequi debet. Quod si verò tam magna plethora non sit, quæ utero molestiam creare possit, mox ad inferiorum venarum sectionem accedere licebit. Quemadmodum alia etiam menses moventia remedia, paulò antè id tempus administrari debent, quæ

quæ verò materiam & vias præparant, ea diu antè adhiberi possunt.

LXXXVIII.

Hæc autem Venæ sectio pluribus & partitis vicibus fieri debet, exemplo *Gal. comm. 3. in 6. Epid. text. 29.* qui mulieri octo menses hoc malo laboranti emaciata, vel ut textus loquitur, extenuatissimæ licet, copiosum sanguinem, sed interpolatis vicibus, & primo quidem die sesqui libram, postero die libram unam, tertio verò die uncias octo extraxit, eamq; brevissimo tempore restituit.

LXXXIX.

Capevaccius venæ sectionem instituit pro ratione sanguinis quiescentis, & commoti; & ratione sanguinis quiescentis, venam brachii secat, procul à mensium tempore; ratione verò sanguinis qui movetur, cum motus ille fiat instante mensium tempore, & paulò antè, venas inferiores secat.

XC.

Nunquam verò hæc inferiorum venarum apertio tentanda est, nisi prius & viæ apertæ ac patentes; & materia vel sanguis fluxilis redditus sit; secus si curatio instituatur, & frustra laborabit Medicus, & sanguine ad uterum attractio, vel saltem commoto, gravia non rarò, tum uteri, tum aliarum partium symptomata producere potest.

XCI.

Quæ omnia si diligenter observata, & affectus ac causæ singulæ penitus perpensæ fuerint, non parùm utilitatis ægræ emergere inde poterit: si præsertim & ipsa, & adstantes suum quoque officium faciant, & externa omnia sint ritè comparata, quemadmodum *Hipp. aph. 1. sect. 1.* loquitur.

Τῶ Θεῶ ἡ δόξα.

C O R O L L A R I A.

I.

An viraginibus, & iis quæ calidioris sunt temperamenti, mensium suppressio sit præter naturalis? Disting:

II. *An men-*

II.

An menstrua purgatio à sola copia sanguinis etiam impediatur? Neg:

III.

An menstruus sanguis per substantiam uteri transeat? Neg:

IV.

An mulieri, & eodem, & diverso tempore, menses & hamorrhoides fluere possint? Affirm.

V.

An quod Hippocr. aph. 60. sect. 5. dicit: ἢν γυναῖκί ἐν γαστρὶ ἐχέσῃ αἱ καθάρσιες πορεύονται, ἀδύνατον τὸ ἔμβρυον ὑγιάνειν, sit perpetuum? Neg:

VI.

An quod idem dicit aphor. sequente: ἢν γυναῖκί καθάρσιες μὴ πορεύονται, μήτε Φέικης, μήτε πυρετὸς ἴσχυρομένης, ἄσαι δὲ αὐτῇ προσπίπτωσι, λογίζεσθαι αὐτὴν ἐν γαστρὶ ἔχειν.

VII.

An mensibus aliquantum retentis, nihilominus mulier concipere possit? Affirm.

VIII.

An rectè ciceres contusi usurpentur in mensium suppressione? Neg:

F I N I S.